

220

218

224

214

229

209

269

169

319

119

Ende

Anfang

205

portum Judas Macchabaeus cum omnibus navibus ideo succedit, propter Judaeorum submersionem, quam dolose Joppitae procuraverant, ut dicitur 2. Macchab. 11. S. Petrus apostolus de Judaea pulsus in Joppen venit, ibique praedicavit, et Tabitham viduam suscitavit. Actor. 9. et 10. Et hospitatus fuit juxta mare in domo Symonis coriarii. Et nonnulli volunt, et rationi consonum est, quod testudines illae, et speluncae arcuatae, sub quibus inclusi stabamus, fuerint habitationes domus Symonis hospitis S. Petri. Hunc portum Jonathas et Symon Macchabaei munierunt, ut habetur 1. Macchab. 10. et cap. 14. Sed postea Romani eum devastaverunt bina vice, et ibi multa milia Judaeorum necaverunt, ita ut sanguis in mare deflueret, et partem maris, quae intra scopulos est, colore suo rubricaret. Deinde Christiani portum illum reaedificaverunt, (B) et multa proelia ex eo gesserunt, propter quod ultimo Sarraceni civitatem et portum penitus destruxerunt, nihil ibi integrum dereliquerentes, nisi duas turres ob maris custodiam: caetera omnia dejecerunt sufficiens muros aedificiis combutis, ne erecti manerent. Vix vidi adeo grandes ruinas sicut ibi, et mirabar, qua arte potuerint tam spissos muros prosternere. Quam fortis autem haec civitas fuerit, ruinae indicant. Iuxta exitum de mari dereliquerunt testudines duas, quae in montem ipsum constructae sunt, et sunt superius humo operta et ruinis: propter quod semper est sub illis testudinibus humidum, et a superioribus aquae distillant, et parietes madidae sunt, et fundamentum lutosum, et toto anno ingrediuntur Sarraceni ad naturae necessitatem explendam. Ad has latrinas detruduntur peregrini Christiani, dum veniunt, ut dictum est; hoc vero singulariter grave est peregrinis ibi detentis, quod in ingressu speluncarum testudo est superius rupta et dependunt magni lapides, ruinam minantes, ita quod digito posset quis magnum lapidum cumulum dejicere, et sub istis periculis ruinis intrant et exeunt continue peregrini. Accessus etiam de mari ad hunc portum est multum difficilis, et periculosus, et credo quod vix per circuitum maris sit adeo horribilis portus. Nulla namque grandis navis a quacumque parte veniat, potest ingredi portum illum, sed oportet foris manere et bolide fundum sibi quaerere

